

aut densus stridor cum celso e vertice montis
ortus adaugescit scopulorum saepe repulsus.'

atque his rerum praesensionibus prognostica tua re- 8
ferta sunt. quis igitur elicere causas praesensionum
5 potest? etsi video Boëthum Stoicum esse conatum,
qui hactenus aliquid egit, ut earum rationem rerum
explicaret quae in mari caelove fierent. illa vero cur 14
eveniant quis probabiliter dixerit:

'cana fulix itidem fugiens e gurgite ponti
10 nuntiat horribilis clamans instare procellas
haud modicos tremulo fundens e guttere cantus.
saepe etiam pertriste canit de pectore carmen
et matutinis acredula vocibus instat,
vocibus instat et adsiduas iacit ore querellas,
15 cum primum gelidos rores aurora remittit.
fuscaque non numquam cursans per litora cornix
demersit caput et fluctum cervicæ recepit.'

videmus haec signa numquam fere mentientia nec 9
tamen cur ita fiat videmus. 15

20 'vos quoque signa videtis, aquai dulcis alumnae,
cum clamore paratis inanis fundere voces
absurdoque sono fontis et stagna cietis.'